



00
Bei

X 29
Pa.



DISPUTATIO THEOLOGICA

SECUNDA

De

ADVENTU MESSIÆ
PRIORI,

In qua contra Iudæos probatur,
JESUM NAZARENUM, DEI
ET MARIAE VIRGINIS FILI-
UM, ESSE MESSIAM,

Quam

Sub Umbone Trinunius Dei

PRESIDE

Plurimum Reverendo Clariss. & excellentiss. Viro,

HENRICO FLOCKENIO,

Iesu Christi servo, S. S. Th. D. & ejus-
dem facultatis P. P. in Inclyta

Schola Bremensi

Publicæ ventilationi proponit

JOHANNES ANDREAS OSTERBURGIUS,


Cothenà-Anhalt.

Ad diem XXVI. Januar.

In auditorio Theologorum horis ab octava matutinis,



BREMÆ, Typis BERTHOLDI & HENRICI de VILLIERS,
ibidem illustr. Gymn. Typogr. 1661.



ILLUSTRISSIMIS ac CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS,

PRINCIPI LEBRECHT,
ET
PRINCIPI EMANUEL,
Principibus Anhaltinis, Comi-
tibus Ascaniæ, Dynastis Servestæ ac
Bernburgi &c. Principibus ac Domi-
nis suis Clementissimis;

*Hanc Exercitationem Theologicam,
devoto venerationis cultu*

Mancipat

C. C. V. V.

*Humillimus, devotissimus,
& obsequentissimus
Cliens*


JOHANNES-ANDREAS OSTERBURGIUS,
Respond.

DIS-



17 WA 1716

Q 121



DISPUTATIO THEOLOGICA

De

ADVENTU MESSIÆ

P R I O R I,

THESIS XX.



Nte aliquot tempus incepimus probare, Jesum Nazarenum, Dei veri, vivi, & Mariæ virginis Filium esse verum Messiam istum, contra modernos Judæos: & quidem *primò: rationibus distinctè hoc stabilire promissimus: deinde auferre è medio proposuimus, quæ Judæi in remoram suæ conversionis arripere solent.*

X X I.

Rationes sive argumenta, quibus distinctè probamus, Jesum Nazarenum, Dei veri, vivi, & Mariæ virginis Filium, esse verum istum Messiam, in tres classes distribuimus. Prima, continet divinam approbationem; secunda, confirmationem à tempore & loco desumptam: tertia, convenientiam hujus Domini Jesu cum iis, quæ Messia in V. Testamento tribuuntur.

X X I I.

Ad primam classem quod attinet, eum constat pro Messia agnoscendum, quem probavit is, qui Messiam olim promisit, nimirum Deus. Atqui, Deus variis modis, Jesum Nazarenum esse Messiam, declaravit. Ergo, Jesus Nazarenus pro Messia agnoscendus. Propositionem manifestam esse, ipsi Judæi, im-

primis Rabbini ipsorum, confitentur. Assumptionem, quam negant, probavimus, & quidem respectu: I. *Jesu Nazareni personæ*: II. *Discipulorum Ipsius*: III. *Ipsissimorum Judæorū*: quibus respectibus Deus variis modis declaravit, Jesum Nazarenum esse Messiam, uti antecedenti Disputatione, thesi V. & seqq. usque ad X. demonstravimus.

XXIII.

*Secunda classis est argumentorum à tempore & loco desumptorum. Si tempus, quo Messias venturus fuit, jam elapsum est, eum quoque venisse certum est, ex natura veracissimi numinis, quod præstat absolutas promissiones, sive hoc, sive illud contingat in natura creata, ut quæ illius veritatem in mendacium mutare nequeant. Atqui, tempus, quo Messias venturus fuit, jam elapsum est. Ergo, eum quoque venisse certum est, ex natura veracissimi numinis, quod præstat absolutas promissiones, sive hoc, sive istud contingat in natura creata, ut quæ illius veritatem in mendacium mutare nequeant. Connexi veritas manifesta est. Assumptionem probavimus ex promissione, qua tempus jam præteritum Messia exhibitioni præcisè destinatum, comprehenditur, uti *Genes. 49. 10.* antecedenti Disput. thesi XI. XII. XIII. XIV. & ex *Dan. 9. 17. 18. & 24. & 27.* Disput. eadem, thesi XV. XVI. XVII. XVIII. & XIX.*

XXIV.

Pergendum modò in demonstratione temporis elapsi ex *Dan. 9. vs. 27.* quo Messias passus & mortuus juxta Danielis hoc vaticinium. Illa passio, quam per *dimidiatam septimanam* singulariter sustinebit, & ipsa tandem subsequente horrenda morte, abolebit, atq; *cessare faciet sacrificia & munera*: utpote quæ figuræ & simulacra fuerint eorum, quæ Messia erant eventura: sicuti docet collatio eorum quæ ad ritus illos pertinent, cum iis quæ de Messia passim tradit Dei Spiritus. Deinde quoque postquam in cælos ascende-

rit

rit, per dimidium septimanæ alterum, id est, tres circiter annos, reddet plurimos Judæos foederis participes: hoc impletum, uti patet ex *Actor. 2. v. 41.* ubi legitur, quòd conversi fuerint per Petri concionem 3000. animarum: robore suo exerendo per Apostolos, qui miraculis, & doctrinâ miraculosè acceptâ convertent plurimos. Postea verò se convertent Messiaæ legati ad Gentes, eo quòd Judæi passim Messiaæ, legatorumq; doctrinam impugnabant acerrimè. Anno enim sequenti hanc septimanam Paulus insidiis impetitus à Judæis in Arabia prædicat Euangelium: ad *Gal. 1.* deinde solenniter sese à Judæorum synagoga Christi discipuli segregant: *Actor. 13. 46.* Pergit Daniel, vel potius Angelus ad Danielem; atq; hic erit terminus septimanarum 70. quæ tuæ rei pub. fuerint concessæ, ut eo tempore apud Judæos Ecclesia simul & politia civilis remaneret. Migrante verò paulatim Ecclesie vinea ad Gentes, ita pederentim collabascet politia, non ut antea, quum vires suas subinde ac identidem recollegerunt: sed ita ut semper in pejus ruendo tandem conterantur, & sceptrum extirpetur penitus, populusque è patria penitus eradicetur. Cujus singulare specimen post illos annos 490. id est, 70. septimanas. datum fuit: cum anno proximo Tiberius imaginem suam, antequam Jesu Christi miraculo cognovisset per Pilatum in sancto templo collocari vellet, *Euseb. lib. 2. histor. eccles. cap. 6. Joseph. de bello Jud. lib. 2. cap. 8.* ideoque seditiones exorirentur, nec non per Vitellium Pontificatu jam hunc, jam illum moveret ad libitum, *Joseph. Antiq. lib. 18. cap. 6. & 7.* Et postea Cajus Caligula templum Hierosolymitanum sibi consecraret, ut Jovi illustri novo Cajo nuncuparetur: *Euseb. lib. 5. Eccles. histor. cap. 6. Tacit. lib. 5. histor.* Itaque miserrimè ab eo tempore cum per Tiberium, cum per Caligulam, aliosq; Judæi exagitati fuère: *Euseb. Eccles. hist. lib. 2. cap. 6. Philo ad Flaccum:* donec penitus regione

& patriâ exuerentur. Itaque ait Angelus *per alas Romanas, quas Judæi abominabuntur, quibusq; desolabunt eos ad interitum usque, donec consumantur ex Dei consilio, quod apud se iniic præcisè, ac veluti præcidit, per illas, inquam, Romanorum copias effundet sese crescens indies calamitas & desolatio, effundet sese, inquam, in Judæos, qui desolati obstupescunt ad illa Dei iudicia.*

X X V.

Coeterum, si quis putet hunc institutum calculum non convenire: quòd anni ædificationis templi 49. additi annis 427. qui elapsi sunt ab initio restorationis Jerusalem, ad 30 annum Christi, non efficiant cum 7. annis reliquis, id est, ultima septimana, annos 490. id est, septem 70. qui ab Angelo proponuntur: sed tantum annos 483. is sibi hoc responsum habeat: Spiritum s. aliquoties in Prophetiis de Ecclesiæ calamitatibus, vel liberatione ex iisdem, respicere ad Israëlitaram exodum ex calamitosa Ægypto; ideoque in calculo instituendo adhibere annos Ægyptiacos, ut videre est Apoc. II. 3. qui constant diebus 360. adeoque à nostris solaribus superantur diebus 5. & horis 6. conficientibus in hoc numero annorum 483. annos 7. plus minus: qui ad di debent annis illis 483. atque hac ratione conveniet numerus.

X X VI.

Quod verò per Messiam ducem nonnulli Cyrum, uti R. S. J. accipit v. 25. vel Darium, ut vult R. Sehadia sumi v. 25. vel Sorobabel vel Nehemiam, ut AbenEsra exponit v. 25. significari volunt, frivolum est: nam ab initio restorationis ad Messiam ducem hîc supputantur anni 490. At Cyrus non vixit sub finem anni 490. sed initio ipsorum: similiter nec Darius, nec Sorobabel, nec Nehemias; adde quod horum temporibus inceperint potius instaurari sacrificia

ficia, templum ac civitas, non verò aboleri, quòd hìc refertur ad tempora Messiaë. Imò Messias v. 26. dicitur per populum venturum perditurus illa: & v. 27. alia præstiturus, quæ Cyro & cæteris nullo modo competunt. Ridiculum etiam est, quod de Agrippa, ut R. S. J. accipit v. 26. quamvis sensu nonnihil diverso, somniant, quasi is *fœdus* multis *roboratis*: quum inducias cum Romanis faceret: nam falsum est Agrippam Judæorum inducias fecisse cum Romanis, vel tunc factas fuisse: nec alibi fœdus, quum absolutè ponitur ut hìc, aliud fœdus notat, quàm cum Deo initum, quod sanè Agrippa non pepigit: ubi etiam *Messias Dux*, quum aliud non additur, alium quàm Messiam Patribus promissum significat. Denique quomodo Agrippæ conveniunt, quæ hìc adduntur per Angelum? Quis hujusmodi deliramenta non miretur meritò? ut & questionem, qua Judæus quidam quærebat non ita pridem, quis nosset, an dies hìc non significet annos mille: liquet etenim passim in Prophetis, diem annum, non annos 1000. significare: quin etiam si hoc concedamus, quid responderent nobis quærentibus, qui templum & civitas ergo duraverint per dies 400. ut ait Angelus hoc loco, si unus dies significet 1000. annos? videte ineptias.

XXVII.

Concludo ergo *Dan. 9. v. 24. v. 27.* cùm intra 490. annum ab exitu verbi de ædificanda Jerusalem &c. debuerit venire Messias, adducere justitiam æternam, & roborare fœdus, atque isti anni 490. jam præterierint; jam etiam venisse Messiam: nec tantum venisse, sed etiam peperisse illam justitiam, & ratum fecisse illud fœdus Dei gratuitum. Cùm præterea dixerit Angelus apud Danielelem, *Dan. 9. v. 24.* Messiam venturum, istaque præstiturum ante templi & civitatis destructionem, uti Chaldaica paraphr. in *Ec. cap. ult. v. 7.*

v. 7. habet, quæ hîc observatu digna est: *Antequam veniat angustia ei redimetur, antequam veniat ei tremor ut in doloribus parientis manifestabitur Rex ejus.* Jam verò templum & civitas vastata sint, perspicuum est, illa impleta esse, quæ de Messia fuere prædicta. Antecedentis prius membrum, nimirum venturum Messiam ante destructionem docet Angelus quum asseverat, Christum sua illa beneficia præstiturum intra tempus, quod super populum & habitaculum sanctum fuit decretum, & Messiam foedus morte sua confirmaturum, antequam civitas templumque sanctum devastarentur: *Dan. 9. v. 24. v. 26. 27.* Posterius verò membrum, nempe hæc loca jam diruta esse, docet experientia. Cum denique Messias dicatur benedicturus populo, antequam sacrificia cessent: *Dan. 9. v. 27.* eaque jam diu cessare constet; quid alium Messiam ultra expectant? quod enim de exprimendo sanguine, & nervis quibusdam artificiosè eximendis profertur, quid cum sacrificiis V. T. de quibus apud Danielelem sermo est, commune habet? Sane minimè est illud sacrificium Leviticum. Desinant itaque Judæi quidvis pro quovis nobis obtrudere. Sed audiant magnum suum Doctorem R. D. K. in *Hof. 3. 4.* ubi fatetur ad hunc Judæorum statum pertinere, quod ibi dicit Propheta: Judæisque non superesse sacrificia quæ Deo offerantur. Tandem hoc notent studiosi, nihil hîc utilius ad κρησφύρα Judæorum diluenda, quam memoriæ infixam habere totius Danielis contextus seriem, & singulas Judæorum exceptiones examinare, cum ad ipsam verborum seriem, tum ad antecedentia & consequentia verba.

XXVIII.

Judæi ne planè ad hujusmodi obmutescant, etiam confugient fortè ad loci Hierosolymitani factam restorationem. Verùm ut simul & semel ad hujusmodi diverticula respondeam:

deam : Norint in s. literis non haberi eundem locum, vel eandem civitatem, quæ posteaquam fuit destructa, iterum ædificatur: ut *Ezech. 26. v. 21.* quando de Tyro dicitur, *non invenieris ultra in seculum*, quum tamen ædificata denuo, dicta fuerit postea Paletyrus: verum ibidem ad hunc modum loquitur scriptura, quia istam posteriorem non agnoscit, ut nec est, eandem cum priore, sicuti nec instaurata Hierosolyma fuit illa antiquior, de qua Prophetæ fuerunt loquuti. Adeò ut R. Aben Esras in *Joel. 3. v. 19.* dicat Ægyptum per Nebucadnezarem vastatam non esse eandem cum ea, quæ suo seculo exstaret. Nec etiam ignorant Judæi, Adrianum cum Hierosolymam ædificare vellet, quam postea Ælium nominavit, quæcunque ex vetustis ædificiis reliqua erant, prius diruisse prorsus.

XXIX.

In *secunda classe* argumentorum adversus Judæos, ea quæ à tempore elapso desumuntur, fuere exposita, exigat methodus, ut perveniamus ad *locum*. Insignis est propheta *Mich. 5. v. 1.* qua Deus compellans civitatem Bethlehem Ephratah, futurum fuisse prædixit, ut ex ea dominans in Israële, id est, Messias, ex testimonio Chaldæi paraphrastæ, R. S. Jarchi, & R. D. Kimchi exoriretur, atque locus cæterum non adeò celebris, hac ratione in sublime efferretur. Quare quum prædictiones Propheticæ suo eventu frustrari nequeant, non potuit ista civitas, de qua hæc loquebatur Prophetæ, destitui, antequam inde prodiret Messias. Itaque cum jam diu devastata fuerit, nam pauca tuguriola, quæ à Græcis & Armeniis jam inhabitantur, civitatis nomen non merentur: cum nec politia, nec ædificium, nec genus idem hominum sc. Judæorum ibi supersit, fateantur *neesse est*, jam ex ipsa Christum Messiam prodire.

E

XXX.

Præcedenti prophetiæ æquiparanda est altera *Haggai 2. v. 10.* quâ templi à reducibus è captivitate Babylonica Judæis ædificati pax & gloria præfertur gloriæ templi à Salomone olim exstructi, *Malach. 2. 3.* At quî istud? quum libri *Maccab.* testentur affatim, posterioris ædis pacem non attingere illam prioris: Judæique nobis asserant in *Talm. Hierosolym. tract. de docum. c. 3. f. 3. in Gemara R. S. Farchi in cap. 2. Hagg. David Kimchi ibid. & in Psalm. 85.* in posteriore æde quinque ista gloriosa defuisse, quæ priorem reddiderunt illustrem & gloriosam; nimirum 1. *successionem prophetarum*: 2. *arcam unde loquebatur Deus*: 3. *ignem à Deo immissum, indeque perpetuo alendum*: 4. *nubem testem divinae presentie, quam scecinah vocant Hebræi ab esch distinctam, Seder gnolam Rabba p. 35.* quod notandum contra Costum in typo Messiae: 5. *urim & thumim.* Enimvero nihil solidi proferre Judæi possunt, cur nihilominus secundum templum ita destitutum & orbatum, præferretur apud Prophetam in gloria & pace ædi priori, nã quæ res defectum illarum compensare possit, ni fateantur, idcirco præferri, quod Messias, qui alias princeps pacis: *Es. 9. 6.* nuncupatur, in secundo templo cum per se, tum per Apostolos, pacem Judæorum Gentiumque, cum Deo conciliandam erat annunciaturus ac exhibiturus, & suæ doctrinæ gloria: *Luc. 2. 45.* ac oblatione: *Luc. 2. 22* illustraturus id ipsum, quò nos hujus Prophetæ verba deducunt: *Hagg. 2. 8. veniet desiderium omnium Gentium*: nec non Malachiæ verba: *Mal. 3. v. 1. collat. cum Genes. 49. 10.* Itaque quum secundum istud templum jam diu demolitum sit, quid restat, nisi ut Messiam jam diu ita templum illustrasse concludamus.

XXXI.

Hactenus de prima & secunda argumentorum classe; sequitur *tertia*: quæ continet eorum, quæ Messiae in V. T. tribuun-

buuntur, convenientiam cum iis, quæ in Jesu Nazareno Dei veri, vivi, & Mariæ virginis Filio impleta cernimus. Quum igitur non tantum ex *prima* classe constet, Deum agnovisse hunc pro vero Messia; sed etiam *secunda* affatim demonstret, tempus quo Messias venire, locum quo nasci, nec non locum, quem suo adventu illustrare debuerit, jam desuisse: quis non clarè perspiciat Jesum Nazarenum Dei veri, vivi, & Mariæ virginis Filium, esse verum Messiam olim promissum; si quæ de hoc prophetæ prædixerant, isti convenire & competere ostendatur: quandoquidem in alio ostendi nequeunt? Itaque istam convenientiam breviter perstringere expediet, non omnem quidem, sed eam, quæ iis sufficere poterit, *in quibus Deus hujus seculi non excacavit mentes, ne irradiet eos illustratio Evangelii gloria Christi: 2. Cor. 4. 4.*

XXII.

Primò, Judæi semper exspectarunt hujusmodi Messiam, quamvis ei jam adjunxerint alium Josephi filium, qui è stirpe Davidis, & per consequens patris ejus Ischai nasceretur: prout Deus cum alibi passim, tum per Esaiam prædixerat: *Es. 11. v. 1.* quæ verba cum Chaldæus Paraphrastes, tum Jarchi & Kimchi, aliique ad Messiaæ nativitatem referunt. Nam Chaldæus interpretatur, *prodibit Rex è filiis Ischai, & Messias è filiis filiorum ejus grandescet.* Jarchi verò hinc exhiberi deportatis à Rege Assyriæ consolationem dicit hanc: *fore ut veniat Messias, qui eos liberet.* Kimchi in eandem sententiam versus explicat: additque, surculum è radicibus, sive succiso trunco dici, quod Israëlitaæ essent deportati, ac desissent Reges eorum, Jesus verò Mariæ Filius, nonne de stirpe & progenie, quæ ad radices penè usq; variis calamitatibus decisa, & depressa fuerat, ut pullulantes surculi tantum superessent, progenie inquam fuit Davidis? Si non fuit, cur acres isti censores, qui passim Christum sequebantur, ut di-



Quæ: *Luc. 20. v. 20. Joh. 8. v. 52. 57.* ac facta ejus: *Marc. 3. 2. Luc. 14. 1.* & discipulorum: *Matth. 12. 2. Actor. 6. 14.* carperent; non obloquuti sunt Evangelistis & Apostolis, ac primitivæ ecclesiæ Doctoribus aliis? Ex ista stirpe regia voluerunt Apostoli & Evangelistæ probare, Jesum esse Christum: quod miris sarcasmis Judæi procul dubio excepissent, si contradicere potuissent ullo cum fundamento. Sanè etsi doctrinam Evangelicam negant Judæi, historiam tamen negare non possunt, qui suas fabulosas etiam narrationes tam avidè amplectuntur, ut vel ex unica Gemara in Sanhedrim capite Chelek Talmud. Hier. affatim liquet. Historiam negare non possunt, quam totus orbis passim ab initio amplexus est, quum nec Livio, nec Salustio &c. absque ratione certa fidem facilè quis detrahare audeat. Imprimis ubi Josephi testimonia de N. T. autore Christo, nec non Johanne Baptista, æqua lance expendunt: quandoquidem hi pietatis & veritatis Doctores apud illum audiunt: *Antiq. Jud. lib. 18. 4. & 7.* Mariæ Filium esse agnoscunt Judæi: At Mariam ex regia Davidis familia originem ducere, non est iis dubium, qui memoriâ recolunt, eam hac de causa unà cum sponso Josepho Bethlehemum Davidis oppidum fuisse profectam, *Luc. 2.* ut ex mandato Cæsaris describerentur in urbe regia, quia è stirpe erant Davidis regia.

XXXIII.

Atque hinc factum fuit, quum omnes silentio satis approbarent, Mariam esse ex familia Josephi, & idipsum profectio illa Bethlehemum versùs abundè demonstraret, ut Evangelistæ, genealogiam Christi in Josepho ostendere sibi sufficere arbitrati sint: quandoquidem per mares seriem familiarum, quæ teste *Aben Esra in primum caput Exodi* in viris consistunt, deducere, inter Judæos moris fuit. Ad illam omnium approbationem accedebat Josephi perspecta pietas, quâ

quã legem *Numer. 36. 6. 7. 8. 9.* transgredi veritus est: nam lex ista quã inter Judæos accepta fuerit, & intellecta, docet historia *Ruth: Ruth, cap. 3. v. 12.* cui cum de matrimonio vindicem Bohasum compellasset, hic alium propiorem esse respondit, qui nempe civili Judæorum jure teneretur eam in uxorem ducere. Dices fortè *Levitarũ* quod ἀκληροὶ essent, aliam fuisse rationem: unde etiam evenisse videtur, ut avia vel mater *Elisabethæ*, etsi sacerdotis uxor, ex Juda fuerit, unde ista cognatio inter *Elisabetham* & *Mariam* orta sit. Sed *Mariam* non fuisse *Levitam*, verùm è stirpe Judæ ac *Davidis*, docet 1. profectio *Bethlehemitica*: 2. silentium *Judæorum*, qui hanc veritatem nunquam in dubium revocare saltem primis seculis ausi fuerunt: 3. docet modus, quo *Euangelistæ Christi Mariæ Filii* prosapiam ad *Judam* referunt per *genealogiã Josephi*: quod non fuissent conati coram adversariis suis, nisi *Mariam* è *Josephi* stirpe fuisse, extra dubitationis esse aleam omnino perovissent: 4. docent denique istæ acclamationes de *Filio Mariæ: Hosanna Filio David: Matth. 21. 9. Miserere Fili David: Matth. 20. 31.*

XXXIV.

Antequam progrediamur, quorundam dubiis in hac *Jesu Christi genealogia* à *Matthæo* & *Luca* descripta est obviam eundum. Primò, quum *Matthæo* describente *Jesu Christi genus legale*, *Lucas* describat *naturale*; quare ad *Christum* à *Davide* descendit, per *Nathanem*, qui è *Bathseba* quidem natus dicitur, ac inter *filios Davidis* recensetur, sed tamen *adoptivus solummodo*, non *naturalis* fuisse videtur è *Proverb. 4. 5.* quod ibidem, *unicus* dicatur *Salomon*, quem ex *Bathseba* natum constat? Resp. observandum est, locum unicum, eumque ambiguum, non esse opponendum pluribus perspicuis, sed ex his istum esse exponendum, & in ambigua voce eam significationem eligendam, quam, cum è scriptura probari queat, isti loco con-

troverso esse assignandam, ex eadem scriptura perspicuè liquet. Itaque hoc expendatur, si non per Nathanem, sed per Salomonem Christi prosapia esset deducenda à Juda & Davide, hoc fieri oporteret per Jechoniam, qui fuit è Salomonis posteris, cujus deinde posterii fuerint Schealtiel & Zorubabel: ut expressa sunt verba Dei per *Jeremiam cap. 22. Scribite virum istum scil. Jechoniam liberis carentem fore.* Ut inde luce meridiana clariùs sit, illam Judæorum genealogiam, qua Zerubabelem à Salomone per Jechoniam ortum tradunt ipsi verbo Dei repugnare ex diametro: ideoque inter Nathanis, ut à Davide geniti, posteros rectè Zerubabelem constitui: nam de posteris Conjæ vs. 30. dicitur non regnatos, ut Kimchi agnoscit, qui Zerubabelem regnasse in Juda asserit. Idem Kimchi in istud Jeremiæ caput annotat, quod vs. 28. tribuatur semen Jechoniæ, posse fieri, ut filios habuerit, sed qui mortui sint in Babylonia: & in vs. 30. dicit, si non fuerunt Conjæ filii, non fuerint ei. Asserunt quidem Kimchi Judæique alii per pœnitentiam infractum fuisse Dei decretum, ut loquuntur: At revocare sibi debuerat in memoriam Kimchi, quod paulò ante dixerat ex sententia patris sui, quam laudabat; illam ternam repetitionem vocis *terre vs. 29.* ad roborandam rem fuisse appositam: ut satis liqueat, decretum hoc fuisse irrevocabile, prout per *Esaiam Deus ait cap. 46, vs. 10. Consilium meum stabit.* Quare quum nullibi narretur irritum fuisse factum Dei hoc de Jechonia decretum, quis istud fingere audeat? Non me latet *2. Chronic. 3. vs. 17. Schealtielem dici Jechonia filium:* At quàm latè ibi sumatur filii nomen, satis edocet vs. 16. ubi Zedekias dicitur Jechoniæ filius, quem tamen constat è versu præcedenti 15. patrum ejus fuisse: verùm filius dicitur propter successionem.

XXXV.

Præterea Nathanem non adoptivum, sed è Davide genitum

nitum fuisse, verbis 2. *Sam.* 5. 14. 1. *Chron.* 3. 15. perspicuè aliquoties narratur: & quidem distinctè Nathan è Davide & Bathseba matre Salomonis natus dicitur. Ne quid addam de Luca, qui Nathanem Davidis filium fuisse veluti rem minimè inter Judæos dubiam in genealogia sua recenset. Unde concluditur *Prov.* 4. 3. vocem יחיד quæ *unicum* significat non esse ita accipiendam, ac si Salomonis frater ex eodem patre, & eadem matre Bathseba non fuisset: quandoquidè ea quæ præcedenti & hoc articulo dicta fuere contrarium clarè demonstrant, dum Davidis progeniem esse deducendam ad Mesiam usque, non per Salomonem, sed per Nathanem, atque hunc Davidis & Bathsabæ filium fuisse perspicuè s. scripturæ testimoniis probatum fuerit, quicquid Tornjellus ad annum 2987. num. 5. annotet.

XXXVI.

Quid ? nonne est adhærendum perspicuis & clavis Scripturæ testimoniis, cujusmodi prolata fuere ? Nam *Prov.* 4. 3. quod attinet, quamvis propriè & absque tropo sumatur, nihil tamen continet, quo Nathan è Bathseba fuisse negetur: יחיד propriè unicum quidem significat; sed non semper unicum nativitate: nam Isaac dicebatur *Genes.* 22. 2. *unicus* Abrahami filius, quum fratrem Ismaëlem haberet; & David unicum se dicebat, *Psal.* 25. 16. cui tamen plurimos fuisse fratres legimus: 1. *Sam.* 16. vl. 5. & seqq. Quid ergo? יחיד est solitarius vel unicus, id est, qui destituitur vel fratre si-ve sorore; vel auxilio & aliena ope, ut *Psal.* citato: vel denique, qui neminem sibi parem habet in dilectione & cura, quâ eum potentes prosequuntur & instituunt, adeò ut amor singularis & auxilia illa cura & institutio in eum solum dirigantur, quæ significatio reperitur *Genes.* 22. 2. 12. 16. Unde Hebræa vox sæpius à Græcis redditur ἀγαπητός vel ἀγαπώμενος. Ita hoc γ. 3. *Prov.* 4. Salomon unicus dicitur respectu

specu dilectionis, ut Hebræorum Doctores Rabbi Joseph & Salomon Jarchi jam olim unâ cum Græcis Interpretibus observarunt: ex amore autem singulari ortum etiam est singulare instituendi studium. Mater enim eum amore singulari unicè diligens quum cognovisset *1. Reg. 1. v. 13.* ad clavum reipub. esse tandem admovendum, singulari curâ & studio coram se eundem, *Prov. 31. 1.* educavit & instituit: Unde non dicitur unicus ex matre, sed coram matre, ubi alius nemo tanta dilectione & curâ educabatur. Unde videmus non tantùm alia scripturæ testimonia, sed ipsam præsentem phrasin suadere, ut modo enarrato locum exponamus. Denique, qui vocem *unicus* urgent, sumant suo sensu, id est, pro unigenito: cogentur tamen à verborum proprietate discedere, quia Bathlebam, coram quâ unicus hîc dicitur, *4. liberos* habuisse negare nequeunt contra *1. Chron. 3. 5*

XXXVII.

Secundò, in Jesu Christi genealogia objicitur diversitas personarum, quæ utrobique recensentur: nam Matthæus alios filios post Zerubabelem ordine recenset, ac Lucas Evangelista. Hæc diversitas tamen nullam habet difficultatem, si cum phraseologia scripturæ, tum utriusque Evangelistæ scopus consideretur: quia *primò* nomen filii in sacris diversimodè accipi novimus; sæpissimè *proprie*: nonnunquam filium dici alicujus qui ad aliquem quoquo modo pertinet, ut filii *mundi*, *lucis*: *Luc. 16. 8.* fortitudinis: *2. Chron. 26. 6.* Sic Jerusalem etiam filia Zion vocatur; nonnunquam filius est, qui in filium adoptatur, sic filii Dei: *Genes. 6.* & passim, aliquando hæres filius vocatur: ut *Actor. 3. 25.* ita *1. Chron. 3.* plures filii dicuntur ob solam successionem. Ut à Jochanan ordiar *vl. 15.* hic non fuit primogenitus, sed Jehojakim, ut videre est ex collatione *2. Reg. 23. 31.* ubi Jochanan vocatur Jehoachaz, & *36.* nam quum non intercesserit, nisi trium mensi-

mensium spatium, vs. 31. inter utriusque regnum, non potuit Jehojakim fuisse annorum 25. quum regnare inciperet, & Jochanan sive Jehoachaz 23. nisi hic fuerit natus minor. Unde videmus primogenituram Ipsi tribui propterea quod patri in regno successerit prior, secundum Ipsius Kimchi opinionem. Qui similiter asserit Schallum filium Josiæ non fuisse, uti hic 1. Chron. 3. 15. dicitur, sed nepotem, qui etiam inter filios recensetur, quod patri in regno successerit vivente patruo Tzedekia, quasi frater fuisset Tzedekiaz, cui pari cum ipso jure regnum competierit. Deinde vs. 16. manifestè Tzedekias vocatur Jeconiaz filius propter successionem & hæreditatem, quum fuerit ejus patruus, v. 15. & 2. Reg. 24. 17. nam phraseologia vs. 10. & seqq. docet verba vs. 16. nihil sonare aliud quam Tzedekiam statui Jeconiaz filium: minime verò Tzedekiam fuisse Jeconiam: quod si voluisset libri autor, dixisset Jeconia qui Tzedekias vocatus fuit, vel simile quid, sicuti in simili vocum diversitate: *Genes. 28. 19.* & alibi factum fuit: ne quid de exemplis præcedentibus addam, quæ huic versui lucem afferunt. Jeconiaz verò non Tzedekiaz deinde adjungit reliquos, qui jure succedere poterant; quamvis Tzedekias post illum regnaverit: quia post captivitatem succedentes potius Jeconiaz, quam alteri successisse censentur, quod ipse tandem è carcere in Babylonia, post Tzedekiaz obitum eductus, regio etiam titulo ornatus, exaltatusque fuerit: 2. Reg. ult. vs. 30. Si quis verò verbum genuit apud Matthæum urgere velit, is secum expendat, ut filii & primogeniti, sic & generandi verbum ambiguum esse, non solum vi parium, sed etiam expresso usu: Apostolus 2. Cor, 4. 15. se genuisse dicit eos qui ab ipso tantum fuerant instituti, de qua significatione vide amplius *More Nebuchim lib. 1. cap. 7.* & Caleb genuisse dicitur 1. Chron. 2. 18. Hazubam uxorem, quia matrimonio facta fuerat ipsius & bonorum ejus particeps.

Pariter Matthæus à Serubabele ad Josephum usque varios filios genitos dicit, de quibus propriè istud non intelligitur, sed modo, quem jam in V. T. usitatum fuisse, ostensum fuit. Nam quidam recensentur inter filios, quia successionis jus iisdem competebar; ideoque geniti dicuntur, quod decessorum suorum hæreditati & bonis jure saltem participarint. Lucas verò filios propriè dictos recenset.

XXXIX.

Cæterum Lucam naturale genus voluisse, quod *secundo loco* observandum, percurrere, ostendit cum illa recensio, qua non contentus ad Reges pervenisse, ad primos parentes à Deo conditos adscendit, ut Christum esse mulieris istud promissum semen ob oculos statueret, tum quod catalogi initio observet, Christum tantum Josephi Filium existimatum fuisse q. d. fuisse propriè Mariæ Filium; quibus declarat, se non tam successionem, quàm propriè dictam generationem respicere. Matthæus verò cum catalogi sui initio disertè & expressè Abrahami & Davidis meminit, indeque tantummodo orditur, atque Schealthielem statuit Jeconix filium; satis innuit, sibi propositum fuisse jus successionis ostendere, quo Jesus Christus meritò ab ipsis Judæis hæres mundi & Judæorum Rex agnosceretur, sicuti mundi hæreditas Abrahamo, ad Rom. 4. 13. Genes. 13. 14. 15. & Es. 49. 23. & Judæorum regnum permanens Davidi: 2. Sam. 7. promissum fuerat.

XL.

E. præcedentibus constat, non tantum modo illo, utpote usitato, loqui potuisse Evangelistas, verum etiam ita ipsorum verba esse omnino accipienda; nam Prophetas rectè loquutos fuisse, nec inter se pugnare, agnoscunt Judæi; ar

at Matthæus authorem *1. Chron. 3.* phrasi suâ & personis recensendis sequutus est, sicuti Lucas *Jerem. 22.* authoritati adhærens, cum de propriè dictis liberis esset sibi sermo, non agnovit tales Jeconixæ filios, ut Matthæus: sed ad Nathanem Davidis filium regressus, unde suum catalogum progenitorum Jesu Christi arcessivit. Adeò ut Evangelistis sua in narrando constet fides: quæ verò præterea à quibusdam desiderantur, tanti non sunt, ut quenquam movere debeant, quum diligens Lector ea facilè retundere valeat. Attamen ut omnia sint magis perspicua, nonnulla de hac genealogia adjiciam.

XLI.

Matthæus *tres classes* constituit, ad quarum singulas *quatuordecim* refert personas: quamvis & alicubi essent plures: quod memoriæ causâ fecit, & ad æquandum & rotundandum numerum, ut loquuntur, quemadmodum Deus annos peregrinationis, quâ semen Abrahami peregrinaretur, numerat *Genes. 15. 13. 400.* quum tamen fuisse dicantur 430. *Exod. 12. 40.* verùm ut istæ partes singulæ unius seculi: id est, annorum 100. permanerent æquales, illic omissi sunt anni 30. Deinde quum Matthæus ad Matthan pervenit, ejus filium statuit Jacobum Josephi patrem: Lucas verò Matthat, qui idem videtur fuisse cum Matthan, quamvis & diversus esse potuerit, ut Africanus censet apud Euseb. ubi Melchi eum vocat, patrem Eli patris Josephi vel Mariæ constituit. Id autem factum fuit vel quòd Matthan duos filios habuerit, quorum unus fuerit Jacob, alter Eli, ille Josephi pater, hic Mariæ, nam *Luc. 3. 23.* Josephus filius Eli dici potuit, quia gener fuit, ut Ruth Naëmi nurus dicitur filia è *collat. Ruth. 1. 11. cum. 2. 22.* vel quòd habuerit filios duos: quorum uno scil. Jacobo absque prole defuncto, ejus uxorem Eli frater duxerit, unde Maria deinde sit nata,

vel Joseph, qui dicatur Jacobi filius *Matth. 1.* quod fuerit semen ei ex fratre suscitatum: cui simile quid tradidisse *Ἀπύστυοι* Domini nostri leguntur apud *Eusebium histor. eccles. lib. 1. cap. 7.* Denique quum videmus duos Euangelistas post Davidem aliquando recensere personas easdem, ut Schealthielem, Zerubabelem & Matthat, idque in genealogia diversa, nihil est quod inde moveamur: nam id contingere sæpe potuit, ut jus successionis in una stirpe ab hac familia ad aliam devolveretur. Eo modo in stirpe Davidica, deficiente familiâ regiâ Salomonis successerunt in familia Nathanis Zerubabel ejusque posterii: quibus tandem in Eleasare, qui fuit ex Abiudis familia, desideratis, successionis jus devenit ad Matthan vel Matthat è familia Rhesæ. Quemadmodum è Davide duæ fuere familiæ, nempe una Salomonis, altera Nathanis, quæ priori deficienti successit: sic è Schealthiele & Zerubabele ejus nepote, duæ ortæ sunt familiæ, nempe Abiudis apud Matthæum, & Rhesæ apud Lucam, quæ priori successit in Matthat proavo Servatoris nostri.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

Sacra scriptura est necessaria Ecclesie, necessitate non absolutâ, sed hypotheticâ.

II.

Deus est Spiritus ab æterno existens, unus essentiâ, trinus personis.

III.

Attributa Dei nec ab essentia divina, nec à se invicem realiter distinguuntur.

IV. Omnia

Omnia providentiâ Dei reguntur; naturalia, voluntaria, contingentia, bona & mala.

Immanis est calumnia, Reformatos Deum peccati autorem statuere.

Dôctrina de prædestinatione in ecclesia Dei non debet occultari, sed populo publicè & prudenter proponi.

Non omnes simul homines Deus ad vitam æternam elegit, sed aliquos tantum.

Est interim causa electionis hujus nec fides, nec bona opera prævisa, sed electionis Dei.

Homo per lapsum ita corruptus est, ut ante regenerationem in cultu Dei salutari ab ipsius arbitrio non nisi malum morale, hoc est peccatum, proficiscatur.

Justè à Deo nobis imputatur inobedientia Adami parentis nostri primi.

Christus solus est Messias verus, h. e. Salvator & Mediator inter Deum & homines.

Idiomata divina humanæ naturæ; & contra humana divinæ naturæ communicata esse, longè absurdissimum est affirmare.

XIII.

Christus totus sese demisit.

XIV.

Fides salvifica solorum electorum est propria, non tamen beatorum, sed viatorum.

XV.

Est illa fides planè inamissibilis, ita ut qui eam semel accepit, nunquam totaliter & finaliter abjiciat.

XVI.

Bona opera sunt necessaria ad salutem, non quidem promerendam; sed adeundam, sed promovendam.

XVII.

Non omnibus hominibus post lapsum redditur à Deo gratia efficax, quâ converti ad Deum, regenerari & tandem æternum servari possint.

XVIII.

Datur aliqua Ecclesia vera invisibilis.


XIX.

Deus præcepto secundo non simpliciter prohibet omnium imaginum sculpturam, picturam, & usum.

XX.

Imagines sive Dei, sive Angelorum aut hominum sanctorum cultu religioso afficere, coram iis in genua procidendo, & vota precesq; faciendo, nullo modo licet.

Qui



I.

Qui duros casus vicit virtutis amore
 Laudem haut vulgarem comparat ille sibi.
 Talem concilias etiam TIBI candidè *Amice*

Postquam tractasti dogmata sacra bene,
 Ut satis ingenuè possis defendere, JESUS

Quod sit MESSIAS quem mulier peperit.
 Hunc Ego conatum laudarem carmine digno
 Viribus ingenii si modò sufficerem.

Interim *amicitiæ* sinceræ tessera sunt

Hæc queis applaudo gratulor atque tibi:
 Adsit porro tuis ceptis termagnus Iovæ
 Pro lubitu ut possis singula perficere.

*Hæc paucula scripsit amico
 suo*

PETRUS RUDOLPHUS LEZIUS,
 Anh. S. S. Th. St.

II. Es



II.

Es hatt Melpomene gewis; als du geböhren
 Dich bald erblicket / und den Pallas zuerköhren:
 Durch seine Künste der dich nun so weit gebracht /
 Das jederman für groß aus diesem thun dich acht /
 In welchem so du dich noch weiter wirst bemühen /
 So wird der Neider auch dein Lob dir nicht entziehen /
 Durch seinen Laster-Zahn : das bleibt dir zgedacht /
 Warumb die Jugend du mit Arbeit hast vollbracht.

Dieses setzet aus Wlichte
 schuldigkeit an den Herrn
 Antwortenden /

als seinem Landsmanne


ANDREAS Deichman / Bern-
 burg. Anhalt. S.S. Theol. St.



17WA 1716








DISPUTATIO THEOLOGICA
S E C U N D A
De
ADVENTU MESSIÆ
PRIORI,
In qua contra Iudæos probatur,
JESUM NAZARENUM, DEI
ET MARIÆ VIRGINIS FILI-
UM, ESSE MESSIAM,
Quam
Sub Umbone Trinumini Dei

PRESIDE
Plurimum Reverendo Clariss. & excellentiss. Viro,
HENRICO FLOCKENIO,
Iesu Christi servo, S. S. Th. D. & ejus-
dem facultatis P. P. in Inclyta
Schola Bremensi

Publicæ ventilationi proponit
JOHANNES ANDREAS OSTERBURGIUS,
Cothenà-Anhalt.

Ad diem XXVI. Januar.
In auditorio Theologorum horis ab octava matutinis,


BREMÆ, Typis BERTHOLDI & HENRICI de VILLIERS,
ibidem illustr. Gymn. Typogr. 1661.